

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 5372

**Auteur(s)** : Richard Blanchey, de Lieusaint [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Jean de Saint Pélerin, Coutances (archidiacre)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1266, avril

**Action juridique** : vente

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Richard Blanchey, de Lieusaint, vend pour cent soixante livres tournois à l'archidiacre Jean de Saint Pélerin son manoir de Glatigny à Yvetot, avec toutes ses dépendances. Il devra payer sur ce manoir une rente de cinq sous tournois à l'évêque de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 129, p. 255-256.

## Dissertation critique

v. st.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego, Ricardus Blanchiey, de Loco Sanctorum, vendidi, concessi ac finaliter dimisi, venerabili viro magistro J[ohanni] de Sancto Peregrino, archidiacono in ecclesia Constantiensi, quoddam manerium quod habebam in parrochia de Yvetot quod vocatur manerium de Glatignie, prout se portat in longum et latum, tam in domibus quam in gardinis, cum redditibus et fesanciis quos michi debebat Ricardus le Potier et homagio dicti Ricardi et cum omnibus aliis dicti manerii pertinentiis. Tenenda et habenda omnia supradicta et singula dicto magistro et heredibus suis seu illi vel illis cui vel quibus dictum manerium cum omnibus suis pertinentiis dare, vendere, elemosinare, vel alias distrahere voluerit, libere, pacifice et quiete, sine molestatione aliqua mei vel heredum meorum in predictis vel in aliquo predictorum decetero facienda, reddendo exinde annuatim reverendo patri Constantiensi episcopo et ejus successoribus a predicto magistro et ejus heredibus seu ab illo vel illi cui vel quibus dare, vendere, elemosinare, vel alias distrahere voluerit, ut prefertur, ad festum sancti Michaelis quinque solidos tur., seu monete usualis et equivalentis ; et ego et heredes mei debemus et de pacto tenemur dicto magistro et ejus heredibus seu illi vel illis cui vel quibus dare, vendere, vel elemosinare voluerit omnia supradicta et singula garantizare et deffendere nostris propriis stipendiis et expensis contra omnes vel alibi in nostra propria hereditate excambiare valore ad valorem si forte supradicta et singula garantizare vel deffendere non possemus ; quam hereditatem non poterimus vendere, pignerare, obligare, seu alio modo alienare, quin tantum in manu nostra remaneat quod bene sufficere possit ad competens excambium, si necesse fuerit, faciendum pro omnibus supradictis ; et hec omnia juravi me fideliter servaturum, curaturum et adimplecturum et quod contra non veniam ullo modo. Pro hac autem venditione et concessione dedit michi predictus magister J[ohannis] et persolvit centum et sexaginta libras tur. in pecunia numerata. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum,

presentem cartam sigilli mei munimine roboravi ; et ad majorem hujus rei certitudinem reverendus pater J[ohannes] Constantiensis episcopus sigillum suum presenti carte ad petitionem meam apponere dignum duxit. Actum et datum anno Domini M° CC° sexagesimo sexto, mense aprilis.